



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

De operationibus Angelorum. c. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Vtrumque autem ex dictis in ea, & in hac disputatione facile posset impugnari.

*Caietanus.
Etiam quid.*

Melius igitur est si dicamus, sicut Caietanus dixit de eternitate (quamvis in eo eius sententia non fuerit nobis probata) naturam æui, formaliter nihil aliud esse, quam permanentem quandam, & indiuiduam Angelis, & cuiusque substantiæ etiam corporatæ in suo esse durationem, cui tamen coniuncta esse potest operationum, & accidentium varietas. Atque hoc modo tota æui ratio realis erit, nec ad illam formaliter pertinebit, aut ratio mensuræ actiue, cum hæc nullo modo ei conueniat, ut probatum manet, aut ratio mensuræ passivæ: quamvis enim, ut nunc est, sub mensura cadere queat, tamen si principium non haberet, non posset; diceretur nihilominus æuum eiusdem rationis: existimo ergo, nomine æui nec expresse significari, nec conotari respectum mensuræ passivæ, nec negationem illius, sed solum durationem illam permanentem: cum tamen nomine eternitatis significetur negatio illa mensuræ, disput. 31, cap. 6, explicatum est. Hinc autem constat, æuum ab eternitate differre: tum quia eternitas est ita permanens, ut nec coniunctam habeat varietatem, æuum autem coniunctam habet varietatem: tum etiam quia eternitas mensuræ negationem includit, non autem æuum. A tempore vero differt æuum, quia tempus non est solum duratio motus, sed etiam numerus illius, & mensura cæterorum, & ita aut est aliquid rationis, aut aliquo rationis completur: æuum autem nihil rationis habet, sed solum est duratio rei permanentis, ut dictum est.

*Æuum in
quo ab eternitate differat.*

DISPUT. XXXVI.

Quæ sit operationum Angelorum, visionis beatificæ, & rerum corporearum mensura.

De operationibus Angelorum, cap. 1.

De visione beatifica, & gratia, cap. 2.

De rebus corporeis, & corruptionis obnoxij, cap. 3.

CAPUT I.

De operationibus Angelorum.

Sub vna disputatione placuit, hæc omnia complecti, quod vna sit eorum ratio, & ex doctrina tradita eodem modo de singulis philosophandum sit, ut clarius procedamus, sigillatim de ipsis dicendum est.

*Scotus.
Operationes
naturales
Angelorum
aut mensura
varet aut
Scotus.*

De operationibus immanentibus Angelorum. prima opinio est *Scoti* in 2. d. 2. q. 4, qui docet, naturales operationes (nam de beatifica sequenti erit controuersia) sicut ipsam Angelis substantiam, æuo, ut propria mensura, definiri. Probat primum, quia esse illarum est permanens totum simul, sicut substantiæ: ergo æuum erit illarum mensura, sicut substantiæ. Nec obstat, quod Angelis substantia sine fine durabit, non autem operatio: nam licet Angelus non esset in perpetuum permanens, propria mensura substantiæ illius, esset æuum.

Deinde quia mensura claræ visionis Dei in omni sententia est æuum, visio autem includit aut supponit operationem naturalem, & nullum æternum, hoc est, quod æuo continetur, includit, aut supponit aliquid posterius, quale est temporale: ille ergo actus, seu operatio naturalis, quæ in visione continetur, vel supponitur, non definitur

tempore, sed æuo, ac proinde reliquæ omnes eandem mensuram habere debent. Ideo vero dixit Scotus, in visione includi, aut supponi operationem, seu actum naturalem, quia visio producit a potentia ipsa naturalianimæ, est enim causa illius simul cum lumine gloriæ. Cum autem ex sententia Scoti eadem d. q. 3, quam disput. 34. c. 1. retulimus, nullum æuum sit mensura eius, in quo est, sed illud æuum quod est extrinsecum, & in alia re, sit mensura alterius, consequenter dicendum est, mensuram operationum Angelis, non esse æuum, quod est ipsarum duratio, sed aliud æuum vel substantiæ ipsius Angelis, vel denique vnus operationis æuum, alterius esse mensuram.

*Tempus
quodammodo
est mensura
operationum
naturales
Angelorum.
S. Thomas.
Caietanus.
Henricus.
Capreolus.*

Secunda opinio asserit, nec eternitatem, nec æuum, nec tempus nostrum esse mensuram harum operationum, sed tempus quoddam peculiare, & ipsis proprium, quod discretum vocant. Sententia est *B. Thomæ* art. 5. ad 1. *Caietani*, & recentiorum ibi, *Henrici* quod 1. 2. q. 8. *Capreoli* in 2. d. 2. q. 2. art. 1. concl. 3. Tempus autem discretum appellant, quod diuersis instantibus constat separatis, & nullo modo continuis. Vnumquodque vero instans, est duratio cuiusque operationis, quæ licet, simul cum tempore nostro duret, tota est simul, & in se ipsa indiuidua cumque inter ipsas operationes sit quedam successio, dicunt illam esse tempus discretum est enim similis temporis nostro, cuius esse in successione positum est. Differt autem, quia non est continua. Sicut etiam idem *S. Thomas* q. 13. art. 3. docet, motum discretum Angelorum tempore discreto, tanquam mensuram definiri, imo & continuum motum tempore etiam continuo, alterius tamen rationis, quam est nostrum.

*S. Thomas.
Augustinus.*

Hoc autem genus temporis discreti videtur sibi *S. Doct.* colligere ex *Aug. de Genesi ad litteram*, c. 20. At vero de nostris cogitationibus, etiam intellectus, docent recentiores aliqui, eas sub mensuram temporis nostri cadere, quod a phantasmate pendeant, licet in se spirituales sint, phantasma autem sub temporis nostri mensura sit: demum æuum esse mensuram cognitionis illius naturalis, quæ Angelus se ipsum intelligit, & Deum, docet *S. Thomas* quodlib. 5. art. 7. & cum eo recentiores non pauci, sicut etiam & substantiæ ipsius Angelis, quod ab ea operatione Angelus nunquam desistat, & eodem modo sicut sua substantia, sine fine perseueret.

*Sententia
aut. 1. 5.*

Verum ex dictis in alijs disputationibus facile deducitur, quid in hac re dicendum sit. Aut enim fermo est de duratione intrinseca operationum, non considerando in ipsa rationem mensuræ, aut de propria, & vera mensura ipsarum. Si priori modo loquamur quo videntur loquuti Doctores allegati, quæstio non magni momenti est, cum vtrumque, non rerum esse videatur. Nam si spectemus id, quod est in re, nullus negare potest, quamlibet operationem intellectus Angelis, & hominis esse in principio, & sine indiuiduam, totam simul permanentem: nisi forsitan contingat eandem intentionem effici se ipsa, aut remissiorem, tunc enim aliqua in ipsa erit successio. Secundo certum est cognitionem, quæ se, & Deum intelligit Angelus, esse indiuiduam, & totam simul cum principio, & sine fine, absque vlla variatione, si semper elicitur ex toto conatu, de quo non est modo disputandum. Tertio absque dubio inter operationes ipsas Angelis est successio quedam discreta: parum tamen refert, hoc aut illud durationis genus, hoc aut illo nomine

3

nomine nuncupare, ut scilicet dicatur ævum, non solum duratio cognitionis sui, & Dei, ut vult S. Thomas, sed etiam cuiusque intellectus, ut contendit Scotus, aut certe intellectuum sibi succedentium dicatur tempus discretum. Soli quidem Scholastici de hac re inter se pugnant, & varia nomina, ut cuique placet, imponunt.

Ex Patribus vero nullus huius rei mentionem fecit. Solus August. loco allegato asserit, à Domino factam spiritalem, & corporalem creaturam, ex quibus spiritualis moueretur per tempus, non per loca, sed corporalis per utrumque. Hinc tamen non licet colligere, hoc tempus, de quo August. loquitur, esse discretum, aut aliud à nostro, ut autem probet id, quod dixerat, subiungit deinde, Exempli enim gratia: per tempus mouetur animus vel remittendo quod oblitus erat, vel discendo, quia nesciebat. Vbi non de tempore discreto, sed de nostro loquitur Augustinus, si vera est illorum recentiorum opinio, qui dicebant, cogitationes nostri intellectus non tempore discreto, sed nostro definiti. Denique, cum Augustinus nihil aliud dicat, quam spiritalem creaturam in tempore moueri: non est, cur potius de illo discreto, quam de nostro communi, quod apte meretur operationes quoque Angelicas, intelligatur.

Si vero posteriori modo loquamur de mensura operationum Angelicæ, prout mensura definitur ab Aristotele 10. Metaph. cap. 2. & 3. quo pacto non videntur locuti S. Thomas, & alij Scholastici cum eo allegati idem prorsus, quod præcedentibus disputationibus de mensura substantiæ tradidimus, dicendum est. Primo nullam operationis Angelicæ durationem ipsi intrinsecam, esse eius mensuram, sicut nec ævum Angelicæ est mensura substantiæ, utriusque enim eadem est ratio. Secundo nullam durationem operationis, aut superioris, aut inferioris, esse mensuram alterius, sicut nec ævum vnius Angelicæ est alterius mensura. Ratio etiam communis est: quoniam nullus intellectus dignoscere potest, quanta fuerit duratio vnius operationis suæ, per durationem alterius, sicut nec durationem suæ substantiæ, per ævum alterius, ut ex dictis perspicuum est. Tertio demum nostrum tempus esse propriæ, & vere mensuram operationum Angelicæ, sicut diximus, esse mensuram substantiæ ipsorum: atque hoc eadem prorsus ratione, quoniam per illud definit cognoscimus, quanta fuerit duratio operationis Angelicæ: est autem mensura nostro intellectui tantum: nam neque Angelicus, nec diuinus vlla vtuntur mensura, ut præcedenti disputatione probatum manet. Posteriori vero ratione tempus nostrum est mensura operationum Angelicæ, quam substantiæ: hæc enim habet principium, non finem, operatio vero habet utrumque, & ita plane mensura definiti potest. Non igitur opus est, inter operationes exteriores, & interiores Angelicæ distinguere: sed omnes temporis nostro tanquam mensuræ indiscriminatim subiiciendæ sunt.

CAP. II.

De visione beatifica, & gratia.

De operatione beatifica docent S. Thomas artic. 5. ad 1. Caietanus, & recentiores ibidem, mensuram illius non esse tempus vllam, nec ævum, sed æternitatem diuinæ inferioris, quam ipsi participatam appellant, & putant aliqui esse

sententiam Augustini lib. 83. quæst. q. 25. vbi inquit ab August. dicitur nostra beatitudo, æternitas participata. Ratione probant: quia cum illa sit naturæ magis immutabilis, & altioris, quam alia Angelicæ operatio, vel etiam eius substantia, efficitur, ut sub alioi mensura contineatur: hæc autem non videtur alia, quam participata quædam æternitas. Id ipsum aliqui docent de gratia habituali, quæ licet adueniente peccato corrumpatur, suapte tamen natura à nulla re creata corrumpi potest, nisi à solo Deo, à quo etiam solo creatur, seu infunditur: putant enim peccatum non excludere gratiam habituales naturæ suæ.

Scotus vero loco allegato censet, mensuram beatitudinis non esse vllam æternitatem, sed ævum. Idem docuit in 4. dist. 49. quæst. 6. §. de secundo dubio. Probati potest ex Fulgentio de fide ad Petrum, cap. 28. Quid vero dicat ille, inferius referemus. Confirmat deinde ratione, quia non minus immutabilis est substantia Angelicæ secundum se, quam beatitudo: ergo ævum debet esse eius mensura, sicut est mensura substantiæ Angelicæ.

Mihi vero eadem proportionem, atque de superiori difficultate, videtur dicendum: Primum quidem, si loquamur de duratione ipsa intrinseca visionis, aut gratiæ habitualis, totam esse simul, & indiuiduam ordinis cuiusdam supernaturalis supra Angelicæ substantiam, & naturam; habere etiam principium sine fine in futura vita. Quod si hac de causa hanc durationem placet Thomistis appellare æternitatem participatam superiorem ævum; aut Scotus velit, ævum quoque nuncupare, non est de voce cum eis contendendum, dum modo sciamus naturam durationis ipsarum. An vero gratia sit naturæ suæ corruptioni obnoxia, & non à solo Deo destrui possit, dicemus 1. 2. q. 71. art. 4. & q. 113. artic. 2. vbi de oppositione gratiæ, & peccati mortalis disputabimus. De visione vero beatifica dicemus 1. 2. q. 5. art. 4.

Cæterum absque fundamento August. pro vna, & alia opinione refertur. Nam vbi allegatur pro prima opinione, solum docet, aliquem vno ex duobus modis esse castum, bonum, & æternum, &c. primum castitate, vel bonitate, vel æternitate, quam ipse gignit, & cui principium est, atque causa, ut sit: hoc est, quam suapte natura à seipso habet, & castum, bonum, & æternum hoc modo non posse non esse tale: deinde castitatis participatione, & hoc modo castum posse esse non castum, Hoc pacto, inquit, animam esse æternam participatione quadam æternitatis, Deum autem ita, ut sit aut. Si ipsius æternitatis, ut disp. 33. c. 1. explicatur est: neque eo cap. adduxit exemplum August. beatificæ operationis, quamvis, si illud adduxisset, non probasset, durationem beatificæ operationis magis esse æternitatem participatam, quam durationem ipsius substantiæ animæ. Ex communi autem Scholasticorum sententia duratio animæ rationalis, non æternitas participata, sed ævum appellatur. Aug. igitur nomine æternitatis participatæ ævum intellexit.

Deinde quod Scotus pro sua sententia ex August. refert, friuolum est. Ibi enim solum asserit homines iustos, qui in gratia decesserint, æquales fore in beatitudinis statu Angelis Dei, ut deinceps ab eo mutari non possint, & vnam futuram omnium vitam æternam, ex quo perperam Scotus infert, beatitudinem eorum sub ævo tanquam mensura contineri.